

dinem gerit, licet minus digna videatur ad peccatorum
pondus paenitentia, tamen quantuluscumque ille nutus
95 paenitendi fuerit, vel conversionis momentum, expers
non erit remunerationis bonorum ; nihil enim, mihi crede,
boni operis quamvis sit exiguum, despicietur apud iustum
iudicem Deum. Si enim peccata cum tanta examinatione
discutienda sunt, ut etiam verborum et cogitationum
100 unusquisque perferat poenas, quanto magis bene gesta
et magna in iudicio repensabuntur et parva. Itaque etiam
si non putas esse possibile ad illum rursus summae vitae
ordinem te posse reparari, aliquid certe de nimietate luxu-
riae et libidinis enormitate si reseces, ne hoc quidem tibi
105 infructuosum senties fore. Incipe tantum et initium ali-
quod arripe meliorum conversionisque viam summis
saltem continge vestigiis. Donec enim incipias, difficile
tibi et inaccessum virtutis iter videtur. Sic namque est
natura rerum, ut omnis labor tam diu gravis putetur,
110 donec sola animi consideratione pensatur. Ubi vero ad
rem ventum fuerit et operis ipsius coeperimus aliquantu-
lum profligare, ibi iam pavor quidem omnis ac formido
depellitur, successus vero operis dulcedinem parit et
laetitiam menti, cum fuerint reparata denuo incrementa
115 virtutum, redditque nos continuo fortiores, cum proxima
iam videri coeperit spes salutis.

9. Propterea denique et Iudam inimicus hinc rapuit ne
forte, quia sciebat quod esset reditus ad salutem, lapsum
suum per paenitentiam reformaret. Ego enim etiamsi